

exercuit. Expendit hoc probè hoc loco Origenes l. 7. *Comment. Epist. ad Roman.* Dat, inquit, præterea indicium maximum ingentis erga nos amoris Deus, quod in tantum nos dilexit, ut nec proprio filio pepercerit, sed pro nobis omnibus ad passionem tradiderit eum: & ut majore nos admiratione constringeret. *Apost.* addidit sermonem ingentis arcani conscium dicens, quia proprio filio non pepercit. *Dixerat enim superius, quia etiam nos, qui Spiritum adoptionis accepimus, filii Dei sumus. Ne ergo communi ista appellatione filiorum unum aliquem ex his tradidisse putaretur, qui in filios videbantur adsciti, addidit, proprio filio, ut eum, qui solus ex ipso Deo ineffabili nativitate generatur, ostenderet. Pro nobis ergo omnibus tradidit eum, non illa traditione, qua scriptum est; tradet autem frater fratrem in mortem & parentes filios: Sed tradidisse dicitur hoc ipso, quod eum, cum in forma Dei esset, passus est exinanire seipsum, & formam servi suscipere & usque ad mortem crucis pervenire, ut in ipso omnibus exemplum obedientie poneret, & iram resurrectionis à mortuis aperiret. Pro omnibus ergo tradidit eum, non solum pro sanctis, non solum pro magnis, sed & pro minimis omnino qui sunt in Ecclesia. Subscribit Origeni Alf. Salmeron Jesuita Tom. 13. disputat. 23. pag. 585. dum inquit; Deus illi unigenito & nobis per omnia pari, ut nobis parceret, qui per naturam eramus filii ira, & perditionis, non pepercit, sed pro nobis omnibus illum tradidit ad acerbissimam & ignominiosissimam mortem: quare nec mirum, si filios suos adoptivos permittit affligi, qui naturali non pepercit. Et tradidit illum, ponendo in eo iniquitates omnium nostrum & permittendo mortem, quam multis modis impedire poterat. Johannes Arboreus D. Parisiensis *Comment. hoc loco pag. 31.* non pepercit, quia voluit, ut supplicium crucis etiam ignominiosissimum pro nostra salute pateretur. Thom. Aquinas *Comment. hoc loco lect. 6.* Quod autem dicit, non pepercit, intelligendum est, eum à pœna non exemit. Nam culpa (propria) in eo non fuit, cui parcere potuisset. Plura testimonia, ex S. litteris hac vice non proferimus.*

§. 294. Repugnat verò ista Pontificia assertio porrò II. etiam analogie fidei, favetque heresi. Analogie fidei repugnat. Ea vult, Christum in passionibus & tormentis pro nostris peccatis toleratis egisse cum Deo irato, subjectum fuisse Deo irato: Christum præstitisse satisfactionem Deo per justitiam suam & justissimam erga peccata iram satisfactionem postulanti: In redemptione hominis, inquit è Thoma Aquinate Tannerus in *Theologia Scholastica Tom. 4. disput. 1. questione 2. dub. 1. num. 27. pagin. 81.* summus justitiæ rigor servatus fuit exhibita perfectissima satisfactione ac simul summa & infinita misericordia, dum eam ipsam satisfactionem, quam homo solvere non poterat, Deus in suo corpore per acerbissimam passionem ac mortem exhibuit, simulque seipsum homini donavit ita ut in presenti rigor justitiæ non solum non extenuet misericordiam, sed illam etiam amplius exaltet. Idem inquit num. 31. pag. 83. sa-

2.
ex Analogia fidei.